



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

26. Castitas.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



*II. Iejunemus, ut Passionis Christi participes simus. S. Chrysoft. hom. 2. de jejunio.*

*III. Da mihi Domine, cum S. Joanne Baptista, cum S. Paulo, & aliis Apostolis, servire tibi, in jejunijs multis.*

## PASSUS XXVI.

Castitas.

TEXTUS.

*Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. 1. Thess. c. 4. 3.*

Cognitio.

**C**astitas, quæ & puritas, & sanctimonia, & sanctificatio nuncupatur, est virtus, quâ ab impuris voluptatibus abstinemus. Vel ut definit S. Augustinus: *In carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* L. de Virgin. c. 13.

Actus:

1. Illicitos carnis actus eliminare.
2. Insurgentia carnis desideria elidere, cogitationesque carnales statim, non secus atque carbonem ignitum excutere.
3. Turpes corporis motus pro vitibus re-  
pri-



primere : aspectum & tactum , occasionésque ad opus nefarium provocantes , aut carnis prurimum excitantes fugere, ac fortiter cohibere.

4. Ab omni etiam licito carnali commercio , quale in matrimonio reperitur, abstinere.
5. Ex desiderio castitatis , ita mentem meditationibus sanctis occupare , & corpus abstinencia atque asperitatibus domare, ut hæc passio, pro vitæ hujus fragilitate, in vigilia nos deserat, & in somno immundæ illusiones nos relinquant.

### Consideratio.

O si virtutis hujus angelicæ prærogativas & præmia probè intelligeremus , quanto cor nostrum ejus succenderetur amore ? Ex omnibus SS. Patribus, ea magnificè deprædicantibus, unum audiamus S. Athanasium L. de Virg. sic exclamantem , & paucis multa ejus præconia perstringentem : I. O *Virginitas corona , qua nunquam marcescit ; templum DEI ; sacrarium Spiritus Sancti ; gemma pretiosissima ; à paucis inventa , à multis odio habita , à solis dignis optata !* II. O *continentiam mortem destruens, possidens verè immortalitatem ! Tu es gaudium Prophetarum, gloria Apostolorum, vita Angelorum,*



rum, & corona Sanctorum. III. O divina castitas, beatus, qui te obtinet, & constanter retinet! Modicum enim laborabis, & plurimum in te ipse gaudebit. Igitur o castitas, quæ carnem castigas, & in servitutem redigis, & animæ alas ad cœlestia adjungis, condecora me!

*Petitio.*

Domine JESU Christe, castissime animarum castarum Sponse; munda me virore gratiæ tuæ; & castitatis flore me exorna, ut Tibi, purissimæ Matri Tuæ, castissimo Nutritio Tuo, nec non S. Joanni Baptistæ & Evangelistæ, intimis amicis tuis, quodammodo assimilari in hac vita merear, & post illam castimoniam aureolâ potiri, Teque Agnum in cœlo sequi valeam, quôcunque ieris, & cantare Canticum novum, quod nemo cantare potest, nisi virgines.

*Aspirationes.*

I. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! Sap. c. 4.

II. Continentiam jubes, Domine, da quod jubes, & jube quod vis. S. Aug. L. 10. Confess.

III. O castitas, mater dilectionis, & angelicæ vitæ ratio, orna me! O castitas, quæ mundo es corde, posside me!